



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1652. usque ad annum 1662

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1779**

**VD18 90119185**

§. 108. Parisiensium & Rothomagensium Parochorum Zelus contra laxiorem morum doctrinam.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67372)

per manum carnificis lacerari & com-  
 buri jussit: pariter die nona Februarii Sæc. XVII.  
A. C. 1656.  
 Anno hujus sæculi quinquagesimo se-  
 ptimo Senatus Aquensis in Provincia  
 easdem utpote *famosas, calumniis plenas,*  
 & *publicæ rei perniciosas* pariter a car-  
 nifice in flammam conjici mandavit, sta-  
 tuta gravi pœna in typographos, alios-  
 que, qui illas imprimere, retinere,  
 vendere, aut distrahere præsumerent.

## §. CVIII.

*Parisiensium & Rothomagensium Pa-  
 rochorum Zelus contra laxiorem  
 morum doctrinam.*

Postquam vero hæ Pascalis literæ Ro-  
 thomagum fuerant delatæ, mox Argentre  
l. c.  
 hujus Diæcesis Parochi exhorruere ad  
 perniciosas, laxasque doctrinas, quas  
 harum literarum Author ex Jesuitarum  
 Scriptoribus hausisse asserit: Eapropter  
 propositiones ab eo allatas cum ipsorum  
 libris, unde excerptæ dicebantur, &  
 in quas San-Macloviensis Parochus in  
 suis concionibus vehementius invehe-  
 batur, habitis hac de re comitiis con-  
 ferre statuerunt: Seligunt igitur ad hoc  
 munus sex Parochos doctrina ac pro-  
 bitate magis conspicuos, quibus datum  
 est negotium, ut ejusmodi propositiones  
 ex hisce Theologorum libris integra  
 Hist. Eccles. Tom. LXII. Y fide



**Sæc. XVII.** fide exciperent, eo fine, ut earum  
**A. C. 1656** censuram canonico modo a summo Pon-  
 tifice & Episcopis una omnes deponerent, si tamen hæc re ipsa apud præcitos Authores exstarent, cujuscunque demum conditionis aut status forent, sin autem exstare minime reperirentur, penitus hanc causam abjicerent, & has epistolas, in quibus ejusmodi doctrinæ allegatis Theologis falso adscribuntur, proscribi peterent. Postquam vero Delegati Parochi, qui per integrum Mensem in loca a Pascali abducta singulari diligentia inquisierant, se doctrinas in citatis libris integre reperisse retulerunt, ceteri unanimi suffragio decrevere, ut singuli ad illum locum, ubi citati libri haberentur, sese conferrent, & ipsimet hosce libros consulerent, & cum excerptis locis compararent. Hæc indagantium solertia alios sex dies tenuit; cum autem has doctrinas ibidem reperiri cernerent, communi consensu horum eorum damnationem a suo Archiepiscopo efflagitarunt, simulque de consilio suo Parisienses Parochos certiores reddiderunt. Hi ergo tam salutari proposito assentientes, Synodicas literas ad omnes Franciæ Parochos dederunt, quibus eos hortabantur, ut unacum ipsis non modo horum dogmatum, sed



& aliorum, quæ in Casistis quibusdam Sæc. XVII.  
deprehendissent, damnationem a pro- A. C. 1656.  
priis suis Episcopis peterent, & tam  
perversas, moralemque Ecclesiæ di-  
sciplinam corrumpentes doctrinas Clero  
Gallicano damnandas offerrent. At-  
tamen Antistites Parisiis congregati  
ægerrime ferebant, quod hi Parochi  
non communicato consilio Episcopo-  
rum, qui tamen Pastores & Doctores  
primi Ordinis essent, Synodicas literas  
de rebus ad moralem disciplinam per-  
tinentibus, & cum fide Catholica con-  
nexis ad varias Diæceses transmittere  
præsumpissent. Ita major erat quorum-  
dam animositas in damnandis Montalti-  
literis, quam in eradicandis pernicio-  
sis doctrinis, quarum Auctores Mon-  
taltus carpebat.

## §. CIX.

*Episcopi Gandavensis epistola ad Fa-  
cultatem Lovaniensem pro dam-  
nandis doctrinis laxioribus.*

Horum tamen Parochorum ac præ- Argentre  
cipue Mechliniensis Archiepiscopi p. 283. t. 3.  
exemplo incitatus Antonius Triest Epi-  
scopus Gandavensis laxioribus doctri-  
nis, quæ ex Casistarum libris tam in  
scholis quam in sacris Tribunalibus pas-  
sim in usum deducebantur, sese oppo-  
suit,